QVÆSTIO MEDICA
CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXVIII. APRILIS
M. SIMONE BAZIN Doctore Medico Decano, Moderatore.

869

An secundæ menſæ ſanitati vtiles?



T morbus naturæ inimicus contrariis expellendus venit, ſic ſanitas eiuſdem amica ſimilibus conſeruanda eſt. Sanitatis autem non vna ſpecies & ratio, imò varia & multiplex: nec ſanitas omnis ἐυεξία eſt, quæ temperies & commoderatio quatuor humorum facultate & copiâ permixtorum meritò dicitur. Ab hâc aliqua deflectit, quæ non abſoluta quidem verùm integra cenſetur, ſimilibuſque alimentis perinde ac altera debet reſtaurari. Hinc artem medicam in hoc naturâ præſtantiorem varia cibandi genera quibuslibet accommodata adinueniſſe contigit: tùm quòd tempus quo cibus aſſumatur præſcripſerit; quibuſdam ſi quidem prandere non cœnare, quibuſdam è contrà conducit: tùm quòd plures menſas (nec enim homini ad inſtar bouis & equi cibus idem ſufficit) primas videlicet & ſecundas inſtituerit.



ECVNDÆ menſæ innumeris luxuriant eduliis, ex quorum copiâ corpus non minùs recreatur quàm reficitur: habent enim ſingula corporis membra, vnde ſuccum ſibi ipſis magis conſentaneum alliciant, quo fruantur. Horum partem maximam benigna rerum omnium parens tellus ſuppeditat, cum è ſuo ſinu fructus vberrimos arborum & plantarum beneficio profert; qui parùm quidem nutriunt, ſed frigiditate & humiditate quâ pollent, vaporum acrium ad cerebrum aſcenſum prohibent, blandéque ob temperatam ἀναθυμίασιν ſomnum conciliant: fugaces alios, tardos alios producit natura, qui quolibet tempore ſuppetant, eoſque vel dulces, vel auſteros, vel acidos, non modò vt cuiuslibet guſtui, qui ſenſus omnium maximè eſt voluptuarius, ſe ſe accommodaret, ſed etiam vt dulcibus ventriculus aleretur, auſteris corroboraretur, acidis calor intus ſe reciperet, ſicque ſuo perbellè defungeretur munere.



R S etiam de ſe aliquid confert, in conficiendis bellariis occupata. Placentarum varia ſunt genera. Nonnullæ ex farinâ triticeâ & aquâ, aliæ ex ouo, butyro, melle aut ſaccharo ſubactis conflantur, finguntur & aliæ ex fructibus, ceraſis, prunis, malis, pyris; & vuis nondum maturis, oleribus quoque ipſis. Craſſum omnes generant ſuccum, aluum aſtringunt, niſi ſacchari aut fermenti ope earum vitia emendentur; ſitim adaugent, vndè fit vt primas teneant, οὐ μόνον ποτέον τῆς δίψης χάριν τῆς ἐπὶ τοῖς σιτίοις, ἀλλὰ καὶ μετὰ τὸ σιτίον.



X animalibus præcipuis primæ menſæ ornamentis, lac deſumitur, optimum inter alimenta quæ in ſecundis menſis vſu eſſe ſolent, temperie ſiquidem temperatâ ſed frigidiuſculâ præditum eſt, partibus enim, ſeroſâ frigidâ & humidâ, caſeoſâ frigidâ ſiccâ quibus conſtat, butyroſæ calor ſuperatur: perfectè nutrit, ſuccum præbet laudabilem, moderatamque alui præſtat deiectionem. Eius cremor ſuauiſſimus, facilis coctionis, boni alimenti ſed pauci miniméque ſolidi, non tamen perperam poſt cibum editur. Serum ſitim extinguere, penetrare in venas, detergere, & ventrem mouere valet. Caſeus, ſi recens, ventriculo vtilis, corpus impinguat, nec niſi per accidens aluum deiicit, ſi vetuſtus conſtringit nec flatus generat. Vinum potus erit non quodlibet, ſed generoſum, hiſpanum putà, moſchatelinum, Hypocraticum, quod & palato ſummè gratum ſit, & ciborum coctionem iuuet, eorum ἀνάδοσιν facilem efficiat, naturamque ad excrementorum expulſionem ſollicitet. Aquâ, vt pote quæ frigida omniſque expers ſaporis eſt, abſtinendum.



O N fruſtra in ſecundis menſis apponuntur πέμματα, ex iis Oeſophagus pinguedine præmanſorum illinitus detergetur, edulia primæ menſæ ad fundum ventriculi deprimuntur, chylus efficitur inculpatus, modò primæ adaptentur menſæ, vt ſi carnes caſeus, ſi piſces præceſſerint, viſciditaſque contracta ſit, nux imperetur, quin & voluptas ex eorum eſu ſumma percipitur, auidiùs à ventriculo appetuntur, quæ vbi ſemel in ſe continet, vires ſuas ſeſe comprimendo colligit, vt eorum ciborumque priùs ingeſtorum coctioni vacet: vnde quatenùs grata, licèt minus bona, ſana habenda ſunt: vitetur interim tabacocapnia, nec menſæ à paſtu renouandæ: poſt prandium ſtandum, poſt cœnam ambulandum quo ſalubriores euadant.

Ergo ſecundæ menſæ ſanitati vtiles.



Proponebat Lutetiæ IOANNES DE MONSTROEIL Pariſ. Schol. Arch. A.R.S.H. M.DC.XXXIX.